quia fluunt ex decreto prouidentiæ, quod non tollitur per decretum reprobationis.

Caput XXIX.

De Pœnitentia.

I.

AN *pœnitentia & reſipiſcentia differăt?* Hæc vocabula nunc promiſcue, nunc oppoſite vſurpantur. Promiſcue vnum pro altero vſurpatur. Oppoſite pœnitentia (μεταμέλεια) non aſſurgit aut progreditur vltra pœnitudinem: ſed reſipiſcentia (μετάνοια) ad pœnitudinem adijcit repetitam ſapientiam. Itaque reſipiſcentia ſemper eſt ſalutaris, lege ſcil. oſtendente peccatum, euangelio autem illud purgante. Atq; hinc reſipiſcentia dicitur pœnitentia euangelica. At pœnitentia nuda eſt opus legis, & proinde, niſi DEVS ſuccurrat, eſt iter ad deſperationem. Hinc dicitur pœnitentia legalis.

2. *An homo poſſit ſeipſum præparare ad pœnitentiam euangelicam?* N. quia ſolus Deus hominem præparat per varia documenta naturæ & gratiæ, per beneficia & judicia, per concionem legis, &c.

3. *An rectè dicatur; Qui prima gratia rectè vtitur in Chriſto, dignus ſit ſecunda*

propter